



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De  
Contractibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDCCXXXIII.**

**VD18 90392159**

Q. 4. An licet aliquando occidere innocentem?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40993**

dinatur ad totum, & est propter totum: ergo refecari potest membrum, ad servandum totum corpus. Imò tenetur homo permittere abscissionem membri, si hæc à Medicis judicetur necessaria ad vitæ conservationem, nec perferendi sint acerbissimi dolores; quia tenetur vitæ suæ periclitandi opitulari mediis non valdè difficilibus, cum sit ejus custos, & œconomus, non Dominus. Quod si ingentes cruciatus perferendi essent, non teneretur id permittere, ita passim Doctores: quia non tenetur vitam conservare mediis nimis acerbis, & moraliter impossibilibus, nisi tamen ejus vita censeatur bono communi necessaria.

*Q. 4. An licet aliquando occidere innocentem?*

*Resp. I.* Nunquam licet directè occidere. *Ita omnes. ex Exod. 23. Infontem, & justum non occides; quia aversor impium.* Nam nullus homo habet dominium vitæ alterius, sed solus Deus. Hinc non licet infantes, vel uxores hostium in bello etiam justo captos occidere, ut parentes obsessi se ad filios à nece liberandos dedant. Nec etiam licet rabiosos suffocare, ne alius noceant, sed debent includi, vel alligari. Quòd si quem injustè aggrediantur, is solùm potest vim vi repellere, cum debita moderatione, nec plus quàm necessarium est ad vitam tuendam.

*Resp. II.* Licet interdum ob gravissimam causam aliquid facere, vel omittere, unde præ-  
ter

ter intentionem sequatur mors innocentis. Ita passim Doctores, qui docent 1. In bello justo licere duci ad expugnandos hostes dirigere tormentum bellicum in turrim, vel arcem, in qua innocentes aliqui præter ejus intentionem perituri sunt: tunc enim non censetur moraliter causa illorum mortis, sed solum illam permittere, nam utenti jure suo non imputatur effectus præter intentionem secutus. 2. Licere civitati cogere civem innocentem ad adeundum tyrannum, qui civitati excidium minaretur, nisi civis ille sibi traderetur, licet prævideretur occidendus; nam civitas potest cogere cives ad id, ad quod jure naturali tenentur: at innocens ille jure naturali tenetur vitam certo mortis periculo exponere propter bonum commune. Quod si civis ille nollet obtemperare, jam verè non esset innocens: unde jam posset à Rep. tyranno tradi. Secus, si tyrannus peteret virginem ad illam stuprandam: nam non posset à Rep. cogi ad adeundum tyrannum, tum propter animæ periculum; tum quia illum adire in talibus circumstantiis est consentire luxuriæ.

*Q. 5. Nunquàmne licet procurare abortum?*

*Resp. I. Per se semper est mortale directè impedire, ne foetus humanus concipiatur, aut conceptus animetur, vel foetum ejicere. Prob. 1. ex S. Basil. Epist. ad Amphil. Quæ de industria foetum corrumpit, cadis pœnas luat. Formati autem*